

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput LIV. Continens Histoiram De Resuscitatione Mortui Juvenis, Filii  
Viduae, Civitatis Naim, Luc. 7. vers. II.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

Centurionem ob metum temporalis mortis, & quia servi ministerium sibi utile esse poterat, singulari diligentia procurare, ut hic suus servus sanetur. Miseri verò nos homines, animæ nostræ decumbentis & conscientiæ paralyti prostratæ, exilem curam habemus: non movet nos jactura æternæ utilitatis, non metuimus sempiternam mortem, nec inextinguibilis infernalis ignis cruciatus, quos secum affert spiritualis hæc animæ nostræ paralytis. Sed fere tum demum plerique sibi consuli seque juvari cupiunt, quando etiam externum corpus animam agit, quando memoria extincta est, intellectus deficit, lingua stupet, adeoque jam in via sunt, ut Deo rationem exactæ vitæ suæ reddant. Viderint tales, ne tunc frustra

laborarint, & in æternitate pœnas suæ negligentia luant. Obone Jesu, qui solus es medicus nobis, Exod. 15. v. 26. Matth. 9. v. 12. licet indignissimus, sub quorum tectum intres: te tamen humiliter fide invocamus, ut ex gratia id præstare, & domum pectoris nostri spiritu tuo per verbum & sacramenta visitare digneris, quo expulsi omnibus infirmitatibus languentis animæ in te ad æternam felicitatem confirmemur & corroboremur. Amen.

Hujusmodi Allegoriis si quis delectatur, diligentius de re tota cogitet. Nos doctrinas, quas literalis sensus subministrat, potiores esse judicamus.

## CAPUT LIV.

CONTINENS HISTORIAM DE RESUSCITATIONE  
MORTUI JUVENIS, FILII VIDUÆ, CIVITATIS

NAIM, LUC. 7. vers. 11.

## RATIO ORDINIS.

**P**ost sanatum famulum Centurionis, Evangelista Matthæus subjicit historias de sanata febricitante socru Petri, & iis infirmis, quos mox eadem vespera Dominus sanitati restituit. Sed ea longè ante gesta esse, & hic à Matthæo per recapitulationem narrari, supra ostensum est cap. 38. & 39. Nam apparet Matthæum hoc spectasse, quod prolixo sermone, superius descripto, multa miracula subjungere voluerit, eum in finem, ut doctrinam in eo traditam miraculis illis confirmaret. Postea subjungit Matthæus, quemadmodum Dominus jussit trans fretum navigari in terram Gergesenorum. Sed Marcus diserte scribit, transretationem illam factam esse longe post, vespere scilicet ejus diei, quando per multas parabolas Christus docuit: & intercessisse complures alias historias, quæ partim apud reliquos Evangelistas extant, partim etiam ab ipso Matthæo alibi extra suum locum describuntur: Itaque ex Matthæo non potest colligi, quæ historia proximè post sanatum istum servulum Centurionis in Harmonia collocari debeat. Nec de eo quicquam commemorat Marcus. Re-

stat ergo solus Lucas, qui isti historiæ subjungit descriptionem fuscitati adolescentis Naimitici, & quidem certa ac manifesta notatione temporis. Inquit enim: καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἐξῆς, scilicet ἡμέραι: Et factum est sequenti die. Unde sequitur, post Centurionem recte collocari in Harmonia historiam de vidua Naimitica. Nam vocula ἐξῆς significat ordinem, sive loci sive temporis, quid proximè seu continuo post aliud sequatur. Sic de ventis Græci loquuntur: ἐξῆς τῷ καυκίῳ est Aquilo. Et de tempore ἐξῆς τῶν πολλῶν, per multos continuos dies, Actor. 25. vers. 17. τῇ ἐξῆς, sequenti die. Plutarchus τῷ ἐξῆς ἕτερον proximo anno. Utuntur etiam hac particula Rhetores, quando absoluta una aliqua materia transeunt ad aliam. Et quidem hæc phrasıs τῇ ἐξῆς, scilicet ἡμέραι, certior est temporis & ἀπολαύσεως notatio quam ἐν τῷ καθεξῆς, scilicet χρόνος sive χρόνος. Ubi potest subintelligi, potuisse intermediis diebus, ante initium sequentis illius temporis, alias accidere historias. Hic verò nullum est dubium, quin mox altero die, post sanatum servulum Centurionis secuta sit profectio in Naim, & miraculum ibidem editum.

HISTORIA DE SUSCITATO FILIO  
VIDUÆ NAIMITICÆ.

LUCÆ 7.

11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἐξῆς, ἐπορεύθη εἰς πόλιν καλεσμένην Νάϊν, καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἰκανοὶ καὶ ὄχλος πολλός.  
12. ὡς δὲ ἤγγισε τὴν πόλιν τῆς πόλεως, καὶ ἰδὼς ἐξέκομιξεν τὴν θνησκόντος μονογενῆς τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καὶ αὐτὴ ἦν χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἰκανὸς σὺν αὐτῇ.  
13. Καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ κύριος, ἐσπλαγχνίσθη εἰς αὐτὴν καὶ εἶπεν αὐτῇ· μη κλαίεις.  
14. Καὶ προσελθὼν ἤψατο τὸ σῶμα. οἱ δὲ βασιζόμενοι ἐσηκῶν καὶ εἶπεν, νεανίσκος, σοὶ λέγω, ἐγείθητι.  
15. Καὶ ἀνεκἀθισεν ὁ νεκρός, καὶ ἤρξατο λαλεῖν, καὶ ἔδωκεν αὐτὰν τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

11. Et factum est deinceps, ibat in civitatem, que vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus multi, & turba copiosa.  
12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus essebatur, filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa.  
13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.  
14. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt, Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.  
15. Et resedit, qui erat mortuus, & cepit loqui: Et dedit illum matri suæ.

16. εὐα.

16. Ἐλαβε δὲ φόβον πάντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν θεὸν λέγοντες· οἱ προφήται μέγας ἐγγύεσθαι ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπισκέψατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

17. Καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος· ἔτι δὲ ἐν ἄλλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ περὶ αὐτῶν, καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ.

16. *Acceptit autem omnes timor; & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propbeta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.*

17. *Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.*

*Periocha hujus Historiæ.*

Quia hanc historiam solus Evangelista Lucas describit circumstantiæ omnes planæ & manifestæ sunt. Doctrinam igitur, quæ hoc miraculo proponitur, investigabimus, quæ ex observatione ordinis simplicissime deprehendetur.

In proxima concione Christus inter cætera & hoc caput doctrinæ tractaverat: *Beati, qui lugent, quoniam consolationem accipient.* Illud verò quomodo impleatur pulcherrimè in hac historia de lugente vidua declaratur. Item, in proxime præcedenti miraculo, efficaciam, vim & potentiam verbi sui Christus, & confessione Centurionis & illustri sanatione servuli ipsius comprobaverat. Ne verò existimeretur, hæc vel sola vel summa esse efficacia verbi Christi, quod morbos corporales potest depellere, mox, & quidem adhibitis iisdem testibus, qui Capernaum ipsum secuti fuerant, illustrius ad vitam spirituales, de præcipua & spiritali verbi sui efficacia. Et est simul comprobatio & declaratio ejus, quod in proximo festo Paschatis dixerat; Mortui audient vocem filii Dei, & vivent, Joh. 5. v. 25. item v. 24. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & etiam si mortuus fuerit, vivet. Hæc enim resuscitatio est typus liberationis à morte æterna, & restitutionem ad vitam spirituales, quæ fit vocè Evangelii. Et simul ostendit, credentes, etiam quando moriuntur, non frustrari efficaciam verbi Christi, quod fide apprehenderunt. Exeret enim fide ad resuscitationem corporum ad vitam æternam.

Præcipui igitur loci doctrinæ in hac historia sunt. 1. *Beati lugentes*, quoniam consolationem accipient. 2. *De efficacia verbi Christi contra mortem, & in morte.* 3. *Quomodo ex hac mortui resuscitatione, quæ in Novo Testamento prima est, populus clarius cœperit agnoscere Jesum esse Messiam, atque idè ad certiore historiam fidem circumstantiæ ejusdem diligenter sunt descriptæ.*

Primò muliercula hæc fuit conjugata & vixit in matrimonio. Sine dubio igitur experta est communes difficultates, quas hoc genus vitæ secum affert. Et quia mater effecta est, sensit etiam dolores partus, Gen. 3. v. 16. Deus verò & in principio benedixit conjugio, Genes. 1. v. 28. & nunc etiam conjugibus benedictionem promittit, Psal. 128. v. 2. Sed huic mulierculæ, quæ tristissima est calamitas, maritus moritur, non in senectute, plenus & satur dierum, sed in ipso flore juventæ, non diu post contractum matrimonium: Id quod inde colligitur, quia relinquit unigenitum tantum filium, quem Christus appellat νεανίσκον, adolescentulum. Jam viduitatis calamitas omnium tristissima & miserrima est. Psal. 109. v. 9. inter diras imprecationes ponitur: *Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.* Thren. 1. v. 1. & 5. v. 3. Pupilli nostri fa-

cti sunt absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Sed Deus variis & dulcissimis promissionibus viduas consolatur. Vocat enim se judicem & susceptorem viduarum Psalm. 68. v. 9. Deut. 10. v. 18. & Psalm. 146. v. 9. Viduarum quoque causas singulari quasi privilegio commendat Magistratui & reliquis omnibus. Exod. 22. v. 22. Vidua & pupillo non nocero. Deuter. 14. v. 29. decimam pro peregrinis, pupillis & viduis ordinat. Deut. 16. v. 11. & 14. eosdem præ aliis ad solemnia convivia coram Domino vocari vult. Deut. 27. v. 19. maledicit illi, qui advenæ, pupilli & viduæ judicium pervertit. Jesa. 1. v. 17. dicit principibus: *Judicate pupillo, defendite viduam.* Jer. 5. v. 28. inter causas interitus populi Judaici numeratur, quod causas viduæ non judicaverunt. Jer. 22. v. 3. Viduam nolite contristari, neque opprimatis inique. Hæc igitur vidua illis promissionibus se sustentavit: & quamvis juvenis; secundas tamen nuptias non affectavit. Statuit quoque mitigationem aliquam esse viduitatis, quod haberet filium. Sed & ille adolescentulus adhuc moritur. Et non est dubium, cum decumberet, matrem viduam assidentem lectulo, dulcissimas illas promissiones viduis datas, Deo ardentissimis votis & gemitibus proposuisse. Et cogitavit, tunc tempus esse, ut imple-retur illud: *Beati lugentes, quoniam consolationem consequentur.* Sed unicus filius adolescentulus moritur. Ibi verò mater vidua flens & plorans judicavit, vel promissiones illas vanas, irritas & inanes esse, vel se propter peccata à Deo abjectam & maledictam non pertinere ad illas promissiones. Erat enim species maledictionis. 1. *status viduitatis.* 2. *Quando non relinquebatur semen in Israël.* Et tam tristis est hæc calamitas, ut totam civitatem ad commiserationem commoveat, quæ una cum matre vidua funus comitatur. Promissionum verò de consolatione viduarum nulla prorsus apparet efficacia.

Hæ circumstantiæ idè diligenter sunt expendendæ. Ostendunt enim quam rationem Deus servet in praxi hujus doctrinæ: *Beati qui lugent, quoniam consolationem consequentur.* Ne ita interpretemur, quasi statim in primis luctus principiis subsecutura sit sensibilis consolatio: Neve, si hoc statim non fiat, judicemus vel promissiones esse vanas & irritas, vel nos à Domino abjectos. Jesus enim propter hanc viduam profectionem illam ex Capernaum versus Nain suscipit: sed non præservat adolescentulum à morbo, nec venit interim dum decumbit, priusquam moriatur, & tamen in itinere est, suscepturus patrocinium hujus viduæ. Hæc via Christi Mediatoris diligenter est observanda in praxi doctrinæ: *Beati qui lugent &c.* Vidua verò, ut in re deplorata, sepositis quasi promissionibus, nihil jam petit, sed totam se fletibus & luctui dedit. Ibi vero desperatis orani-

omnibus, Christus obviam venit viduæ, & cum præ doloris magnitudine nihil vel loqui vel orare posset, *Videns eam Jesus plorantem, tacitus est intima commiseratione.* Habemus enim talem Pontificem, qui ideo tentatus est per omnia, ut *συμπαθεία* nostrarum calamitatum tangeretur. Hebræ 2. v. 18. & 4. v. 15. Et ideo Evangelista utitur verbo *εὐλαγχρῖοθῆ*, de cuius emphasi dictum est in historia leprosi c. 42. Et qui antea, cum invocaretur, fuit quasi qui non audiret, nunc, tacente & gemente tantum vidua, ipse ultro eam alloquitur: *Noli flere.* Et re ipsa efficaciam consolationis ostendit, filium suscitatum restituens matri, quæ lætitia multis modis major fuit, quam si à morbo & morte præservatus fuisset. Et quia hoc auxilium est extraordinarium miraculum, nos sanè non habemus specialem promissionem, quod Deus tali extraordinario & miraculoso modo velit nos sublevare. Sed hoc miraculo confirmatur generalis promissio & fides, quod habemus talem Pontificem, qui conspectu nostrarum calamitatum ad sympathian commovetur: quique licet differat, tamen fidelis est, nec finit nos tentari ultra quam possumus, 1. Corinth. 10. vers. 13. sed vel liberat, vel mitigat, vel cor consolatione perfundit, patientia confirmat, fide erigit & sustentat. Sicut hoc loco inquit: *Noli flere.* Et hæc est vera explicatio, seu, ut ita dicam, praxis ejus doctrinæ, quam paulò antè in concione tradiderat: *Beati qui lugent, quoniam consolatio ncm accipient.*

Secundum locum doctrinæ in hac historia diximus esse de efficacia verbi Christi contra mortem, & in ipsa morte. Hoc enim miraculo voluit ostendere & obsignare, quare potissimum in hunc mundum venerit, non ut politicam dominationem exerceret, nec præcipuè ut aquam in vinum verteret, vel similia prodigia ederet, sed ut morte, quæ per peccatum in mundum intravit, destructa, vitam Dei, à qua abalienati fuëramus, Ephes. 4. vers. 18. restitueret. Et quod illud facere possit, hoc miraculo ostendit. Duobus autem quasi instrumentis utitur in resurrectione hujus mortui. Tangit enim pheretrum, & verbo alloquitur mortuum. 1. Ut ostendat, destructionem mortis & restitutionem vitæ esse virtutem & opus suæ personæ, non in divina tantum natura, sed in illa etiam, quam à nobis assumptam plenitudine divinitatis ditavit. 2. Ut doceat, medium seu organum, quo illa personæ Christi beneficia nobis distribuuntur, esse verbum ipsius, per quod in nobis mortem destruet, & vitam restituat. Et illud verbum propterea tantam habet efficaciam etiam contra mortem, non quod sit sonus longè separatus à Christo, sed quia Christus ipse in verbo suo adest, & per illud operatur, sicut hoc loco simul & loquitur & tangit. Sed quia, sicut Ecclesiastes Salomonis dicit, corporali morte æque moritur sapiens & insipiens, cap. 2. vers. 16. quomodo igitur verbo Christi sua constabit virtus & efficacia, cum illi, qui verbum hoc apprehendunt, moriantur? Respondet Christus Johan. 5. vers. 28. Hora venit, cum illi, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & resurgent ad vitam æternam. Et quod verbum Christi in ipsa morte hanc efficaciam ma-

gna cum facilitate habeat, quam suo tempore in credentium demortuis corporibus ostendet, hoc miraculo voluit confirmare & obsignare. Suscitavit enim mortuum, quasi ex somno saltem excitaret.

Porrò hæc historia typus & imago est, quomodo Christus per verbum animæ peccatis mortuæ vitam spiritualem restituat. Non infirmatum, sed mortui sumus in peccatis & delictis. Ephes. 2. vers. 1. Coloss. 3. vers. 3. & desperata vita nullum superest in toto mundo remedium vel auxilium, sed in via sumus, qua tendimus in foveam perditionis, aliis præcedentibus, aliis sequentibus, omnibus verò plorantibus. In hac verò via Christus obviam venit, & non rogatus, ipso aspectu calamitatis movetur ad commiserationem: non horret mortuum, sed accedit, tangit, nos vocat. Præcipuè verò observandum est, quòd non prius suscitavit mortuum, & postea alloquitur: sed verbum suum ad ipsum mortuum dirigit, & ita ipsum suscitavit. Initium enim vitæ spiritualis non prævenit efficaciam & operationem verbi, ex qualibuscunque liberi arbitrii viribus: sed animam peccatis mortuam est. Christus verò eam ad vitam spiritualem resuscitaturus, verbum suum ad animam peccatis mortuam dirigit, quæ sanè non habet verè spirituales aures ad audiendum. Hæc verò est divina verbi efficacia, quod efficit & operatur, ut qui verè mortuus fuerat, acceptis spiritualibus audiendi auribus, audiat, erigat se, & incipiat loqui: idque ideo fit, quia Christus verbo suo adest, & is, qui vita est, mortuum tangit. Hæc igitur resuscitatio mortui pulchra imago est, quomodo Christus nos per verbum ex morte ad vitam spiritualem restituat.

Tertiò multum profuit hoc miraculum ad veram agnitionem Christi. Hæc enim prima est resuscitatio mortui, quæ in Novo Testamento facta est. Ambrosius ita numerat. In Veteri Testamento leguntur tres mortui resuscitati: Filius Sareptanæ ab Helia, 3. Regum 17. v. 22. filius Surnamitidis ab Elisæo, 4. Regum 4. v. 35. & cadaver hominis projectum in sepulchrum Elisæi: cum enim ossa ejus tetigisset, statim revixit, 4. Reg. 13. v. 21. In Novo Testamento à Christo resuscitati leguntur. Filius viduæ. Luc. 7. v. 11. 2. Filia Archisynagogi, Matth. 9. v. 25. 3. Lazarus, Joh. 11. v. 44. 4. Multa corpora sanctorum, Matth. 27. v. 52. post ascensionem Christi ab Apostolis suscitati sunt, vidua Dorcas, Act. 9. vers. 40. à Petro. Eutychnus à Paulo, Act. 20. v. 10. Quia igitur hæc est prima resuscitatio mortui à Christo in Novo Testamento facta, singulæ circumstantiæ ad faciendam fidem historiæ diligenter descriptæ sunt. Christus enim habuit tunc in comitatu multos suos discipulos, hoc est, non tantum duodecim Apostolos: sed multos alios, qui se profitebantur sectatores doctrinæ ipsius, (credentes enim discipulos vocatos fuisse testatur Lucas Act. 11. vers. 26.) & præterea magnam turbam promiscuæ multitudinis. Hæc enim tria genera comitatum Christi hoc in loco ex verbis Lucæ colliguntur 1. Apostoli 2. Discipuli multi 3. Magna turba. Et judico illum ipsum comitatum fuisse, qui in Historia Centurionis ipsum secutus fuisse

fuisse scribitur, ut à Capernaum mox altero die deflexerit versus tribum Isaschar, ubi sita Naim fuit. Hieronymus scribit, sua etiamnum atate oppidulum hoc nomine extitisse duobus millibus passuum à monte Thabor. Magnam itaque turbam miraculi hujus testium Christus in comitatu suo secum adduxit. Et ipsum funus magna turba totius civitatis deductum fuit. Circa ipsam etiam civitatis portam, ubi pro more illius regionis conventus celebrari solebant, facta est resuscitatio. Corpus mortui adolescentuli portabatur *en osphi*. Ita enim Græci interpretes vocant arcam, in qua corpus Josephi in Ægypto depositum fuit. Genes. 50. vers. 25. Ad illum loculum Jesus accessit, & portatoribus consistentibus inclamavit mortuum, non verbis precandi, sicut Helias & Elifæus fecerunt, sed verbis imperandi: *Adolescens, tibi dico, suscitare*, seu resurge à morte. Ita enim verbum *ἐγείρωμαι* de mortuis usurpatur, Matth. 11. vers. 5. & 14. vers. 2. & 16. vers. 21. Et ad verbum illud præcipiendi, ille qui mortuus fuerat, tot & tam diversis testibus inspeçantibus, cepit se erigere, & primo in ipso loculo residens cepit loqui, postea surrexit ex loculo, nec statim rursus defunctus est. Sed *Jesus dedit eum matri suæ*, ut eo certius testificari posset de filio suo, quem vitæ restitutum ex ipsius manu acceperat. Et quia in civitate illa apud matrem postea vixit, illustre fuit testimonium veritatis hujus miraculi. Et non est dubium, quia Lucas dicit famam hujus miraculi per totam Judæam & regiones circumjacentes divulgatam fuisse, multos ex illis locis eo profectos, & vidisse adolescentulum resuscitatum, & totam rei veritatem, sicuti facta fuerat, diligenter explorasse.

Hæc tam diligens descriptio omnium circumstantiarum pertinet ad confirmationem & illustrationem miraculi. Et quia hæc prima est resuscitatio mortui in Novo Testamento à Christo facta, multum attulit fructus. *Replevit enim non Judæam tantum, sed & vicinas regiones, fama de Christo.* Quod enim Lucas dicit, *Spectatores omnes timore occupatos fuisse*, non habet hunc sensum, quod tam horribile spectaculum fuerit resuscitationis: Sed quod vulgus, eorum etiam qui Christo non crederant, hoc miraculum propter insolitam magnitudinem (Annis enim nongentis fermè post Elifæum tale nihil in Israël contigisse legimus) non potuerunt ita leviter negligere vel calumniari, sicut cætera. Quo minus enim id facerent, timore divinæ potentæ,

quam in illo miraculo non obscure perspiciebant, in officio continebantur. Ut ita timor opponatur levitati, contemptui & calumniis. Admirationem autem, & celebrationem miraculi, retulerunt ad ipsum Deum. Lucas enim dicit, eos *glorificasse Deum*, non tantum ideò, quod virtutem manifestè divinam in hoc miraculo agnoscebant: Sed præcipue, quod judicabant hoc miraculum esse testimonium & commonefactionem, quod Deus vel insignem aliquem Prophetam, vel ipsum Messiam misisset. Ita enim intelligere licet illud *ὅτι καὶ οὗτος*, quod duæ in vulgo fuerint sententiæ de hoc miraculo: Quidam judicarunt testimonium esse, quod Jesus hic sit Propheta: & quia tantum Helias & Helifæus, prophetarum principes, leguntur mortuos suscitasse, nominant *magnum*, sive insignem *Prophetam*. Prærogativam enim vaticinandi aliquot jam annis Essai sibi arrogarant, sicut Josephus ostendit. Non autem talis ajunt, sed magnus est hic Propheta. Alii verò rectius judicarunt, miraculum hoc esse testimonium, quod Deus visitationem & restitutionem populi sui, quam per Messiam futuram promiserat, jam inchoaturus esset. Alii suscitationem magni Prophetæ intelligunt de promissione Deut. 18. vers. 15. & quod mentio visitationis sit explicatio, quod non intelligant simpliciter Prophetam aliquem, sed Messiam ipsum. Atque hæc est descriptio de fructu miraculi, quem tunc attulit, quod nimirum illustrior aliqua agnitio personæ Jesu Christi secuta fuerit apud plerosque, quam hætenus habuerint. Nos certè ipsi, tum ex hoc miraculo, tum ex tota Evangelica historia cognoscimus, & grata mente prædicamus, Deum nos miseros misericorditer respexisse, & ex gratia ita visitasse, quod filium suum unigenitum in mundum misit, hominem fieri voluit, eumque nobis donare dignatus fuit. Is nos, mortuos per delicta, quotidie verbo suo ad vitæ novitatem excitat. Et quia morte sua mortem devicit, efficit, ut si firma fide ipsi adhæserimus, ne mors nos detinere possit, sed excussa omni ipsius tyrannide olim læti ad æternam vitam resurgamus, & Christi omniumque sanctorum consuetudine in perpetuas æternitates fruamur. Porro, quod hic fit mentio *loculi, portatorum*, quod *extra portam urbis* sepeliendus effertur, quod deducitur à matre plorante & magna turba civium, pertinet ad doctrinam de sepultura & luctu mortuorum. Sed, juvante Domino, locum illum ad historiam Jairi reservabimus.

COMMONEFACTIO, QUÆ RATIONE INVESTIGARI ET DEPREHENDI POSSIT SERIES ET CONTEXTUS HISTORIARUM A SUSCITATIONE FILII VIDUÆ, USQUE AD EXITUM SECUNDI ANNI MINISTERII CHRISTI.

Post solennem illam Christi concionem de Lege, quæ vulgo Concio in monte dicitur, ordo & contextus historiæ de mundatione leprosi in itinere, de sanatione servuli Centurionis in urbe Capernaum, & de resuscitatione demortui filii viduæ in Naim, satis certus & manifestus est: ut in precedentibus vidimus. Quis verò (sicut Eusebius loquitur) sit *αἰμα ἀκαθάρτου* in iis, quæ proximè sequi debent, hoc est, quod ordine & con-

textu collocandæ sint historiæ à suscitatione filii viduæ usque ad finem secundi anni ministerii Christi, valde obscurum & perplexum & intricatum videtur. Matthæus enim historias de trajectu maris, Christo dormiente: de Dæmoniacis apud Gergesanos sanatis: de filiola Archisynagogi suscitata, &c. describit, multo ante varias illas parabolas, quas in una concione Christus contexit. Marcus verò & Lucas concionem illam parabolicam (ut sic

(ut sic appelletur) prius describunt, & post eam subjiciunt illas historias, quas Matthæum præposuisse diximus. Et Matthæi quidem ordinem Ammonius, Gerson & alii secuti sunt. Sed quia post historiam Centurionis Matthæus à serie temporis & consequentia historiarum aliquantulum per rememorationem (sicut Augustinus loquitur) discedit. Mox enim subjungit sanationem socrus Petri, quam multo ante factam esse, supra cap. 38. clarissimè monstratum est. Iecirco aliis videtur consensum duorum, Marci & Lucæ, præferendum esse contextui Matthæi, in illo præsertim loco, ubi aliquam esse ordinis perturbationem manifestum est. Ac proinde Lucam sequentes, resuscitationi filii viduæ in Naim (& rectè quidem, sicuti monstrabimus) mox subjiciunt legationem Johannis Baptistæ ad Jesum. Sed hic rursus objicitur alia difficultas. Lucas enim calumniam Phariseorum de Beelzebub, quam Matthæus & Marcus ante concionem parabolicam describunt, longè post, in ultima scilicet perfectione Christi versus Hierosolimam, recenset. Quid igitur certi, in tanta obscuritate, quæ perturbata, perplexa, & incerta videtur, de serie temporis & ordine historiarum constituemus?

Potest sanè hæc res intricata etiam solertissimum & ingeniosissimum diu in suspensio detinere, cum temerarium sit audere vel velle certi aliquid affirmare, sine manifesta notatione temporis & ordinis. Extat tamen apud Marcum in descriptione harum historiarum unica quædam notatio, quæ initio non magni momenti esse apparet: Sed illa, si rectè observetur, monstratrix est ordinis, & facem quasi præfert, in obscura illa perplexitate contextus, quæ prima facie legentibus se offert. Est autem hæc notatio. Marcus cap. 4. vers. 35. disertè scribit transfretationem illam, quæ Matth. 8. vers. 23. & Luc. 8. vers. 22. describitur, factam esse vespere illius diei, quando per multas & varias parabolas Christus ad turbas locutus fuerat. Certum igitur est, contextum Matthæi in illo loco de transfretatione, non servare verum ordinem temporis & historiarum, sed esse Anticipationem.

Potest autem ex illa notatione ordo ita investigari & deprehendi, ut ordine retrogrado historiae deducantur certa serie usque ad miraculum resuscitati filii viduæ. Post transfretationem enim contextus & ordo historiarum, de dæmoniis, de convivio in ædibus Matthæi, de Archisynagogo, de cæcis, dæmoniaco, peregrinatione Galilææ, & adventu in Nazareth, usque ad finem secundi anni ex consensu trium Evangelistarum, non obscurus, nec ambiguus, sed manifestus est. Ante transfretationem verò, cum in itinere ad navim Christus prius disseruisset cum quibusdam volentibus ipsum sequi, illo ipso die proximè præcessisse parabolicam illam concionem, Marcus disertè notavit. Et ante illam concionem, eodem die in domo factam esse historiam de matre & fratribus Christi, cum prius contra Phariseos super calumnia de Beelzebub in illa ipsa domo disputasset, Matth. 13. v. 1. clarissimè indicat. Dicit enim: *In illo die exiens de domo, sedebat secus mare.* Et paulò ante illam disputationem cognati vo-

luerunt ipsum comprehendere, cum primum in domum illam venisset, Marc. 3. v. 20. Ita ergò hæc historia, de quarum ordine perturbata videbatur esse obscuritas, serie retrograda quidem, sed certa & manifesta, rectè possunt contexti & ordinari.

Unus verò adhuc scrupulus superest: An hic ordo historiarum, quem jam investigavimus & deprehendimus, ita sit contexendus, ut statim post miraculum editum in filio viduæ Naiticæ subjici & attexi debeat historia de cognatis Christi volentibus ipsum comprehendere, Marc. 3. v. 20. & quæ porò in ordine consequuntur. Et ad Marci quidem imò etiam ad Matthæi contextum hæc ratio facilè & expedite possit accommodari. Lucas verò sua descriptione questionem & controversiam facit. Historiam enim de legatis Baptistæ ad Christum missis, ita attexit miraculo resuscitationis mortui in civitate Naim, ut ea, quæ in se primo capite Lucæ sequuntur, una cum principio octavi capitis videantur & accidisse, & collocanda esse ante illas historias, quarum ordinem usque ad finem secundi anni jam monstravimus. Matthæus verò legationem illam Baptistæ, & quæ continua serie illam secuta sunt, describit cap. 11. v. 2. postquam Apostoli jam in tertio anno ministerii Christi emissi erant ad prædicandum. Quam rationem ordinis Gerson post alios, & cum aliis, sequitur. Hic scrupulus quem non torqueret? Videntur enim rationes quædam inclinare ad Gersonis sententiam, quod historia legationis Baptistæ acciderit tertio anno ministerii Christi, illo tempore quo Apostoli aberant missi ad prædicationem, priusquam redirent. Matthæus enim cap. 11. v. 1. dicit: *Cum consummasset Jesus præcipiens Apostolis quos mittebat, &c.* & postea subjicit descriptionem legationis Baptistæ, quæ tunc opportunum habuisse videtur tempus, cum Johannes prophético spiritu de propinquo sibi interitum imminere intelligeret, ne post mortem suam discipulorum animos suspensos, & perverso præceptoris zelo fascinosos relinqueret. Accedit, quod Matthæus cap. 14. v. 12. scribit legatione illa tantum effectum esse, quod discipuli Baptistæ post mortem ipsius se adjunxerunt Christo. Sed priusquam Apostoli emittantur ad prædicandum, discipuli Johannis Baptistæ Matth. 9. v. 14. consentiunt cum Phariseis, & cum ipsis disceptationem instituunt contra Christum, & ex illa concertatione videtur Baptistæ occasionem sumsisse emittendi legatos ad Christum. Et ita videtur ordo historiae pulchrè coherere, ut Matth. 11. v. 2. describat, quæ sint acta Christi, quæ acciderunt interea, dum Apostoli profecti ad prædicationem abessent, usque ad reditum ipsorum. Neque enim interea otiosus fuisse putandus est. Hæc rationes multos movent, ut omninò judicent sequendum esse ordinem illum, quem Gerson ex Matthæi contextu sumit.

Veruntamen Lucas cap. 7. à miraculo Naitico, usque ad concionem illam parabolicam historiam ita contextit, ut non appareat, quomodo rectè fieri possit, si divellatur, & legatio Baptistæ in novum caput transponatur. Etenim dicit, *Samam resuscitati filii viduæ dimansse in rotam Judeam, & in omnem circumjacentem regionem.* Et mox quasi continuò

continuo textu subiungit: *Et nunciaverunt Johanni discipuli eius de hisce omnibus, &c.* Hæc series consequentia, quasi catena continua, quomodo distrahi & divelli potest? Et *Evangelium* de peregrinatione Christi in principio octavi capitis Lucae, continua serie coherere cum præcedentibus historiis, ad verbum *καὶ ἔτι* manifestissimè ostendit. Ibi verò expressè dicitur, duodecim Apostolos Christo adfuisse. Illa igitur *ἀκούων* cum præcedentibus, quibus adheret, non fuit facta in absentia Apostolorum. Licet igitur priorem illam sententiam, si cui illa adlubescat, nolim profusè improbare: video tamen simplicius & firmitus esse, si Lucae ordo observetur, ut mox post miraculum Nauticum subiungatur legatio Baptistæ, cum adherentibus historiis usque ad finem septimi capitis Lucae, & undecimi Matthæi. Post illas verò historias Christus peragravit civitates & castralla. Et cum domum rediisset in civitatem suam Capernaum, secuta sunt illa, quorum ordinem paulò ante investigavimus & deprehendimus, quæ scilicet in domo illa facta scribuntur. Marc. 3. v. 20. & Matth. 12. v. 22. postea, quæ circa mare, inde quæ in transfretatione, porrò, quæ cum rursus trajecisset, atque sic deinceps, sicuti suo loco videbimus.

Hoc modo series historiarum sine interruptione simplicissimè cohæret, non tantum in Luca, verum etiam in descriptione Matthæi, qui cap. 11. legationem Baptistæ cum adherentibus describit. Et si ex 12. cap. illa, quæ ad tempus multò ante præcedens pertinere, supra cap. 47. ostensum est, demantur, mox sequentur etiam juxta Matthæum, quæ in domo acta sunt, Marc. 3. vers. 20. Quod si altera sententia fervetur, hæc dividenda sunt: & tamen pericope in principio 8. capitis Lucae propter adverbium *καὶ ἔτι*; non potest commode alio loco inseri. Nec rationes pro altera sententia, quæ supra sunt recensitæ, vel necessario concludunt, vel evidentè monstrant ordinem. Neque enim Matthæus inquit, tunc missos à Baptistâ venisse legatos, cum Jesus emisisset Apostolos. Ita enim nulla esset quæstio, si hæc notatio temporis atque ordinis in Matthæo extaret. Sed ita tantum dicit: *Cum finem fecisset Jesus præcipiendi discipulis, transiit inde, ut prædicaret civitatibus eorum.* Hæc est vera continuatio, monens, quid Jesus interea egerit, dum absentè Apostoli. Quod verò subiungitur; *Johannes autem in vinculis cum audisset, &c.* non evincit continuam historiam, quæ illo ipso tempore acciderit, describi. Nam particula *ἔτι* ab Evangelistis sæpè ponitur, ubi non servatur continua narrationum sive historiarum series. Ut Matth. 8. vers. 18. post sanatum socrum Petri Evangelista subjicit: *Videns autem turbas, jussit discipulos trans fretum ire &c.* cum in illo loco nequaquam observetur continua series, vel temporis vel historiarum. Ita Lucae 5. vers. 1. *Factum est autem, cum turba irruerent, &c.* quæ tamen hi-

storia non post sanatum socrum Petri, nec illo ordine accidit, sicuti supra monstratum est, c. 36. Particula igitur *ἔτι* non est ubique certa notatio ordinis historiarum & temporis.

Neque sequitur, historiam legationis Baptistæ ideo in tempus post emissos Apostolos rejiciendam esse, ne existimetur Christus otiosus fuisse interea dum absentè Apostoli. Matthæus enim in principio 12. capitis disertè explicat, quid Jesus egerit interea, dum absentè Apostoli. *Transiit ut doceret, & prædicaret in civitatibus ipsorum.* Imo firmius est argumentum, historias illas, de quibus nunc disputamus, non accidisse in absentia legatorum Apostolorum. Lucas enim cap. 1. vers. 2. dicit, Apostolos fuisse *ἀκούων*; eorum, quæ post vocationem ipsorum in Evangelica historia describuntur. Apostoli igitur non absentes, sed *ἀκούων* fuerunt, cum illa gererentur. Nec verisimile est, Baptistam per integrum annum, usque ad extremum vitæ articulum, nihil vel audivisse vel percontatum fuisse de doctrina & miraculis Christi, cum præsertim discipulis ipsius pareret aditus ad ipsum. Nec inconueniens est, si ponatur post reditum & renunciationem legatorum Baptistæ, quosdam ex discipulis ipsius adhuc nimium addictos auctoritati sui præceptoris iniquiores inveniri Christo, Matth. 9. v. 14. Nam Actor. 19. vers. 3. aliquot annis post ascensionem Christi, tales adhuc inveniuntur. Crebro igitur, diu & multum negotii Baptistæ fuisse cum suis discipulis, ut ipsos à perversa admiratione suæ personæ ad Christum adduceret, nullum est dubium: quæ tamen persuasio ipsis non potuit eximi nisi morte Baptistæ. Et cum in vinculis teneretur, nec ignoraret insidias Herodiadis, singulis diebus & horis finem vitæ sibi imminere cogitavit. Missos igitur fuisse ipsius legatos ad Christum aliquanto tempore ante mortem, sicut Lucas historiam ordinat, verò non est dissimile.

Hæc de argumentis, quæ pro confirmatione sententiæ Gersonis adducuntur, considerari possunt. Nos, propter rationes jam expositas, ordinem à Luca observatum & monstratum tanquam simplicem & planum sequemur: sine iniquiori tamen præjudicio alterius sententiæ, quam sine periculo & incommodo, si quis eam probaverit, sequi poterit. Habet enim rationes non contemnendas. Et profuit hæc de ratione ordinis historiarum à miraculo resurrectionis filii viduæ usque ad finem secundi anni ministerii Christi semel annotare, ut eo expeditius in ipsa explicatio-  
ne progredi possimus, nec sæpius in singulis  
historiis disputatio illa repetenda esset.



CAPUT LV.

CONTINENS HISTORIAM BAPTISTÆ MITTENTIS EX CARCERE DISCIPULOS AD CHRISTUM.

MATTH. 11. vers. 2. LUC. 7. vers. 18.

RATIO ORDINIS



Quod hæc sit vera consequentia historiarum, ex iis, quæ jam annotata sunt, manifestum est. Marcus & Johannes de hac legatione nihil annotarunt. Arque ea propter ex ipsis nihil de certo ordine desumi potest. Cumque Matthæus cap. 11. vers. 2. eandem descri-

bat sine certa temporis notatione, apparet, descriptionem Matthæi ad ordinem Lucæ accommodandam esse, qui hanc historiam præcedenti ita firmiter annectit, ut divelli non possint. Adeoque dubium est nullum, in Harmonia huic Legationi hunc locum, post resuscitatum filium viduæ, sine ullo errore attribui posse.

HISTORIA DE LEGATIS A BAPTISTA EX CARCERE AD CHRISTUM MISSIS.

MATTH. 11. vers. 2.

- 2. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τῶ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶ μαθητῶν αὐτοῦ.
- 3. Ἐἶπεν αὐτῶ· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν.
- 4. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγέilate Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε.
- 5. Τυφλοὶ ἀναβλέψουσιν, χωλοὶ περιπατήσιν, λεπροὶ καθαρῶνται, καὶ κωφοὶ ἀκούσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.
- 6. Καὶ μακάριός ἐστιν ὁ εἰς ἐμὴν μὴ σκανδαλισθῆν ἐν ἐμοί.

- 2. Johannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis.
- 3. Dixit illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
- 4. Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renunciate Joanni, quæ auditis & videtis.
- 5. Cæci vident, claudi ambulant leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.
- 6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

LUC. 7.

- 18. Καὶ ἀπέηγγελλον Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων.
- 19. Καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶ μαθητῶν αὐτοῦ ὁ Ἰωάννης, ἐπέμψεν πρὸς τὸν Ἰησοῦν λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν;
- 20. Παραγεγόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες εἶπον Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς ἀπέσταλκεν ἡμᾶς πρὸς σε, λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν.
- 21. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὥρᾳ ἐθεράπευσε πολλὰς ἀπὸ νόσων καὶ μαστιγῶν, καὶ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν.
- 22. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγέilate Ἰωάννῃ· ἃ εἶδετε καὶ ἤκουσατε, ἐπὶ τυφλοῖς ἀναβλέψουσιν, χωλοὶ περιπατήσιν, λεπροὶ καθαρῶνται, κωφοὶ ἀκούσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.
- 23. Καὶ μακάριός ἐστιν, ὁ εἰς ἐμὴν μὴ σκανδαλισθῆν ἐν ἐμοί.

- 18. Et nunciaverunt Johanni discipuli ejus de omnibus his.
- 19. Et convocavit duos de discipulis suis Johannes: & misit ad Jesum, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?
- 20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Johannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille, qui venturus es, an alium expectamus?
- 21. In ipsa autem hora multos curavit a languoribus suis & plagis, & spiritibus malis: & cæcis multis donavit visum.
- 22. Et respondens Jesus dixit illis: Euntes renunciate Joanni, quæ vidistis & audistis: quod cæci vident, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.
- 23. Et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me.

HARMONIA HISTORIÆ LEGATIONIS BAPTISTÆ AD CHRISTUM, EX DESCRIPTIONIBUS, MATTH. 11. ET LUC. 7. IN UNUM CORPUS COAGMENTATA.

Καὶ ἀπέηγγελλον Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶ μαθητῶν αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῶ, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; ὁ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, πορευθέντες ἀπαγγέilate Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε. ἐπὶ τυφλοῖς ἀναβλέψουσιν, χωλοὶ περιπατήσιν, λεπροὶ καθαρῶνται, κωφοὶ ἀκούσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. καὶ μακάριός ἐστιν ὁ εἰς ἐμὴν μὴ σκανδαλισθῆν ἐν ἐμοί.

Et nunciaverunt Johanni discipuli ipsius de his omnibus. a Johannes autem cum audisset in carcere facta Christi, c advocavit duos quosdam de discipulis suis, misitque ad Jesum. Et a missis duobus discipulis suis, ait illi, c dicens. f Tu es, qui venturus es, an

εἶ ὁ ἐρ-